

DL 12.



48

QVOD FELICITER VERTAT,
D E
A M I C I T I A,
I N S C H O L A E P I S C O P A L I
A. D. III APRILIS POST PRECES MERIDIANAS
I N V T R A M Q V E P A R T E M
D E C L A M A B I T V R
D I R I G E N T E E T A D A V D I E N D V M
I N V I T A N T E
M. C H R I S T O P H O R O C E L L A R I O,
R E C T O R E.

CIZAE EXSCRIPSIT FRIDEM. Hetsädt/A. 1685.

44.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a Latin or German manuscript.





Ereor, ne multos admiratio

subeat, qui factum, vt sacro hoc tem-
pore, quo Christiani homines nihil pu-
tant se scire, Apostolum imitati, *ei μὴ*

Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τὸτον ἐσαυρωμένον, quam

IESVM CHRISTVM, & *hunc cruci suffixum*; nostræ

Musæ tam irreligiøsæ sint, vt profanam de amicitia

materiem, quam sacram & tempori conuenientem,

ad meditandum præoptauerint. Ego vero, quan-

quam impedimentis, quæ moræ fuerunt vni pero-

rantium, excusare possim, quidquid huius parachro-

nismi est, siquidem hoc exercitium ita institutum e-

rat, vt vel ante huius temporis sanctitatem, vel sub

initium quadragesimæ perageretur: tamen nolo vt

procrastinationis excusatione, persuasus firmiter, in

ipsa re & materia inueniri, quæ non dico excusationi

sufficiant, sed iustæ etiam & accuratissimæ defensio-

ni. Quis enim tam ignarus est rerum christianarum,

vt nesciat, proxima ante supplicium nocte, cum va-

le diceret discipulis suis Seruator, nihil potius illis

commendasse, quam dilectionem & amicitiam? nec

illam solam, quæ inter homines mutua est, aut de-

bet esse, sed eam inprimis, quæ nos Deo iungit & ab-

stractos a turba & multitudine diuinis rebus vacare,

& veram consequi felicitatem iubet. Non solum e-

nim præcipit, vt nos mutuo diligamus, idque sui &

) (2

noui

noui præcepti nomine nobis maximopere commenda-
dat; verum etiam suos nos amicos vocat, & multis
verbis confirmat, cœlesti Patri nos caros amatosque
esse. Non fastidiosus Deus est, nec despicit Christus
familiaritatis suæ petitores, quamuis humillimi sint
& contemtissimi mortalium. Eant nunc supercilio-
si, turgidi, sui que tantummodo æstimatores, quique
negant nobiliorum cum sequioribus amicitiam, ad
quam generis conditionisque omnimodam paritatem
requiri existimant. Seneca, his longe sapientior, de
prouidentia cap. 1. *Inter bonos viros, inquit, ac Deum
amicitia est, conciliante virtute: immo etiam necessitudo.*
Idem Lucilio suo exemplum imitationis repræsenta-
turus epistola XI, *Aliquis vir bonus, inquit, nobis eli-
gendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tan-
quam illo spectante viuamus, & omnia, tanquam illo vi-
dente, faciamus.* Rationem addit admodum saluta-
rem: *magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis
adsistat.* Ipse quidem Catonem, aut Lælium, aut Sci-
pionem, aut his similem virum commendat, sed meli-
orem vitæ ducem morumque rectorem CHRISTVM
habemus, cuius vita, nostra institutio est; mores,
nostrum exemplum: qui non fingendus nobis adef-
se, vt Cato & Lælius Annæo; sed vere adest vnicui-
que nostrum, vitam, actiones, studia nostra inspicit,
notat, & identidem admonet officii, si a virtute de-
clinamus. Hic natus est, vt sit *ἑωδερπυα exemplar*,
ad quod vitam nostram componamus, & regula, ad
quam corrigamus, quæ in nobis praua & detorta
existunt. Nulla res magis animos honesto imbuit,
dubiosque & in prauum inclinantes reuocat ad re-
ctum, quam bonorum virorum conuersatio, quorum
vel solus occurfus iuuat, & silentium etiam præceptum
virtu-

virtutis habet, quamlibet voce nihil præcipuunt.
Quis sanctior meliorue Seruatore vnico? quis amici-
or & nobis fidelior? Hoc demum magistro & pæda-
gogo proficimus, cuius omnia sancta sunt & integra
& diuinæ voluntati atque legi congruenter instituta.
Veræ amicitia argumentum est non suo, sed amico-
rum vacare commodo, & si res & caussa postulet,
capitis pro hisdem discrimen adire. Vides nunc,
quam rara inter mortales amicitia sit, nec miraberis
insolentem Ciceronis vocem, *ex omnibus sæculis vix
tria aut quatuor nominari amicorum paria*. Quid? quod
pæne nimium dixisse Tullius videtur, tot paria nu-
merando, dum noster amicus, cuius amorem mira-
mur, sine pari & vnicus est. Iactant fabulæ Orestem,
Pyladem, Pirithoum, Theseum, Euryalum, Nisum;
verum hi amicis & de se merentibus studuisse, eorum-
que salutem sua voluisse redimere creduntur: qui pro
hostibus suis grauissimisque inimicis mortem oppe-
tierit, in omni historia, præter Seruatorem nostrum,
reperimus neminem. O felicem, qui hoc amico con-
stanter vtitur! qui sic eum vereri didicit, vt etiam
cogitatum, sicuti reuera est, præsentem credat, quam-
libet oculis non adspectum! qui ad memoriam eius
suam vitam & mores componit atque ordinat, & hunc
semper sibi vel custodem vel exemplum ostendit.
Longe promouit in cursu pietatis, qui hoc exempli
absolutissimi iter ingressus est, quod semper tutum,
& si aspretis initio difficile, planum tamen processu
fit, ac tanto duce ac comite non solum salutare, sed
etiam in ipsis acerbitatibus iucundum. Christi ergo
amicitia munitus satis tutus, satis beatus est, & in ce-
teris quoque sodalitatibus minus offendit. Qui Chri-
sto amicus est, scito hunc omnibus amicum esse,

omnibus velle omnia, & tamen nihil magis vitare,
quam multitudinem & turbam promiscuam. Inimi-
ca est, vt cum Seneca loquar, multorum conuersa-
tio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commen-
dat, aut imprimit, aut nescientibus allinit, quibus
immunis est, qui solitudinem amat, in qua tamen,
non solus est, sed Christum secum habet, indiualsum
amicissimumque sodalem. Hic amplissimum nobis
theatrum est & pluris faciendum, quam vniuersi mun-
di applausus. Fac omnibus exosos nos esse, ab omni-
bus contemptim habitos, desertos ab omnibus: hic
nunquam deserit suos, contemnit nunquam, sed in
precio habet, quos ipse maximo & incomparabili red-
emit. Crede patriarcham ludibrio, odio, spectaculo
gentilibus suis & exteris fuisse; ille vero nihil perdi-
dit, sed lucratus est solitaria vita, quia הַתְּהִלָּה אֵת
וְהַאֲלֹהִים *ambulabat cum Deo*, siue conuersatione &
consuetudine eius diuina vsus est, carus Deo, familia-
ris idem & domesticus. Plerisque, hoc est malis &
improbis, displicuisse eius studium atque vitam, non
nego: at ἐὐνεσθησε τῷ θεῷ, vt Græci seniores exposue-
runt *ambulationem* illam. plerisque ineptum, infice-
tum, indecorum visum esse, non dubito: at לְאֵלֹהִים
pulcer & decorus Deo visus est, vt Syrus eodem loco,
Græcos forte secutus, expressit. Dei ergo amicitia,
Christi familiaritas vera amicitia est, honestissima est,
nec inutilis, neque iniucunda. Lucrosa pietas, cultores
suos amplis præmiis ornat: suavis Christus, ἀνάπαυσιν
mentibus, hoc est requiem & tranquillitatem præstat.
In hanc amicitiam peruenit, qui Christi supplicia assi-
due meditatur, quæ nostra ille caussa, non sibi aut suo
merito, perpeffus est. Hæc sane qui digne expendit,
non potest in illo voluptatum sitis non exstingui, hono-
rum

rum cupido, lucri & opum adfectatio deleri. In AMICO enim suo diuitias, honores, voluptates abunde habet, & cum Ignatio, ἕως αἰσῶν *amorem* suum, hoc est amicissimum Christum, cruci fixum profitetur, & illius auspicis suarum quoque rerum amorem, puta carnem, adfectus & cupiditates configit, interimit, extirpat. O beatum ergo contubernium, quo Christus cum pio homine coniungitur! o fecundam amicitiam, multarum virtutum genitricem! non enim ἀφιλοῦς hęc amicitia est, aut solitudini destinata; sed latius diffunditur, quam vllum genus amicitiarum. Nam quod Tertullianus ad Scapulam cap. I. dicit, *amicos diligere omnium esse: inimicos, solorum Christianorum*; id, sicuti a Christo suo traditum accepit, qui Christi imitator & amicus est; ita suum perpetuo facit, & re ac opere præstare adnititur, quod singulari ille præcepto commendauit. Egreditur fidem & hominum opinionem hoc amicitia genus; non minus tamen verum est, & vnicum ferme argumentum, quo cum Christo coli amicitiam probari firmiter potest. Qui hunc enim sectantur, amicitia iura non commodis suis, sed lege Christi, & honestate, & communi conditione mortalium æstimant, & semper in ore ac animo habent Christi præceptum, quod a Christianis haustum semichristianus imperator Alexander Mammææ filius & in palatio & in publicis operibus, vt Lampridius auctor est, præscribi iussit: QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. Qui sic animatus est, discipulus & amator Christi, homines ita diligit quoscunque, vt Dei amorem anteferat, & sicut Pericles, apud Gellium lib. I. cap. III δὲ μὲ, αἰτ, τοῖς φίλοις συμπράττειν, ἀλλὰ μέχρι θεῶν, *oportet me amicis opitulari, sed vsque ad deos*: ita primam legem amicitia sibi ipse constituit
ΜΕΧΡΙ ΧΡΙΣΤΟΥ, VSQVE AD CHRISTVM, VSQVE AD
ARAS.

ARAS. Hæc idea veræ amicitia est, ad quam Dei nos *Φιλαθεωπία* exhortatur, Christi dolores, vulnera, supplicium instigant, ipsa salus quemque sua, nisi se neglectum velit, serio aduocat atque inuitat. Hanc etiam nostris commendamus assidue, vt falsam amicitiam & sodalitatem impiam fugientes in id præcipue incumbant, quo Deum amicum, patronum, ducem, comitem perpetuo habeant, cuius auspiciis in studiorum cursu progrediantur, eundemque absoluant feliciter. Non enim illitterata est litteratorum pietas, sed profundam in Dei verbo indagat sapientiam, in sancta philologia delicias & animi laxamenta inquirat, ex sæcularibus libris excerpit, quæ proba & honesta, repudiatis, quæ impia sunt & ad corrumpendam adolescentiam valent. Sic pius Christi amicus doctissimus euadit, & vere est, quem hoc anno vir pietissimus Theophilus Spizelius delineauit, LITTERATVS FELICISSIMVS.

Sed satis fit proloquii, quod ideo sancto hoc tempore de sancto vsu diuinæ amicitia præmissum volumus, quia nostri de *amicitia* in vtramque partem declamare constituerunt. Etenim IO. CHRISTOPHORVS ANDREAE, Bornensis, contra amicitiam pro solitaria vita non indocte disseret, quem ABRAHAM SCVL-TETVS, Gleina Cizensis, confutabit, sine amicitia res humanas constare non posse, scite probaturus: dissentientes conciliabit GODOFREDVS Köhler / Vitibergensis Variscus, & quod felix & studiis eius non incultis salutare sit, scholæ de suorum voluntate, nec sine consensu nostro, vale dicet. Hos vt patroni & fautores rei scholasticæ pro veteri beneuolentia audire dignentur, quantum precibus & obseruantia possumus, identidem rogamus & obtestamur. PP. Cizæ iv Non. April. MDCC LXXXV.


No 3165


80

1007

1007







48

TER VERTAT,
E
ITIA,
EPISCOPALI
PRECES MERIDIANAS
VE PARTEM
ABITVR
AD AVDIENDVM
ANTE
RO CELLARIO,
ORE.

DEM. Hetsstadt/A. 1685.

49.

